

05

A

583





B. C. D!
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
DELIQVIO
SOLARI
tempore passionis Christi,

Quam
In florentissima Academia Wittebergensium,
divinâ adjuvante gratiâ,

PRÆSES
M. MATTHIAS Fleischer /
Tribellâ Lusatius,

RESPONDENS
HIERONYMUS BOCCIUS,
Erff, Thur.

*Eruditorum placida ventilationi
subjiciunt,*

In Auditorio Minori,

Ad D. 27.

An. M. DC. LXIX.

WITTEBERGÆ,
Imprimebat JOHANNES HAKE.

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
DELLIOVIO
SOLARI
tempore...



05 A 583

RES. ORD. 22
THEOLOGIA
in Auditorio
M. D. C. C. C. C.

Impressus Johannes...





A & Ω!



Um multa alia de Eclipsi
Solis tempore passionis Christi
in disceptationem venire pos-
sunt, tum non injucunda, nec
infructuosa quæstio est, utrum
naturalis ea, an verò supernatur-
ralis ac miraculosa fuerit? In
qua decidenda dum aliquid operæ consumere insti-
tuo, non morabor eos magnoperè, qui vel rem ipsam
in dubium vocant, vel certè pro vero deliquio illud,
quo de dicere ingredior, habere nolunt. Enimverò
major apud me Dionysii illius, cuius inter alia scri-
pta epistolæ nonnullæ circumferuntur, quicumque
tandem fuerit, hâc quidem in parte autoritas est, quâ
ut falsitatis vel imposturæ nomine suspectus mihi vi-
deri possit. Ita verò *αὐτοπτεῖς* ille epistola 7. ad Poly-
carpum Episcopum, secundum translationem Am-
brosii Florentini, Parisiis editam anno 1555. p. 190. in
hanc rem differit: *Quid de illo, qui tempore crucis do-
minicæ factus est, Solis defectu, dicturus es? Erasmus tunc
ἀβο (de Apollophane Philosopho gētili loquitur) apud
Heliopolim, amboq; simul incidentem mirabiliter Soli Lu-
na globum notabamus. (non enim ejusce conjunctionis tūc
aderat tempus) ipsamq; rursus ab hora nona ad vesperam*

A 2

ad

ad Solis diametrum supra naturam vires restitutam. Et
rursus epistola II. ad Apollonem ipsum p. 210. In
Heliopoli, ait, tu quidem penè mihi coævus, & ego quinque
& viginti ferè annorum tempus evolvens; unà moran-
tes constiteramus, cum feria quadam sextâ & horâ etiam
penè sextâ Sol horribilibus subito est obsitus tenebris, Lu-
na ipsum intercurrente. Ac paulò post: Offusi tene-
bris ipsi eramus, orbem Solis undiquaque & ex aquo occu-
pante caligine, & posteaquam repurgatio restitutioq; fa-
cta est, luna ad Solis diametrum conversa aufugit. Hæc
Dionysius. Qui si adhuc indignus videatur, cui fidem
tutò adhibere possimus, prædeat modò in lucem te-
stimonium Phlegontis Tralliani, quod apud Eusebi-
um Cæsariensem in Chronico ad annum Christi 33.
legimus. Quarto, egregius ille, vel ipsius Eusebii e-
logio, Olympiadum supputator inquit, anno ducentè-
simâ secundâ Olympiadis (cujus finis connectitur cum
an. P. Jul. 4746. hoc est Christi vero 35. sed Dionysia-
no 33. quò passus ac crucifixus est Dominus) magnâ
& excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defe-
ctio Solis est facta. Dies horâ sextâ ita in tenebrosam
noctem versus, ut stellæ cælo visæ sint, terraq; motus in
Bithynia Nicenæ urbis multas ades subvertit. Idem e-
tiam apud Origenem citatur, Tract. 35. in Matthæ-
um, & contra Celsum lib. 2. Ad hæc Romanos istud
deliquium relatum in archivis suis habuisse, è Tertul-
liani apologetico cap. 21. discimus: & Lucianum
Presbyterum Antiochenum ac Martyrem, pro ad-
struenda veritate inusitati spectaculi, ad annales ipso-
rummet gentilium provocasse accepimus. Sed non
attinet, plures hujus generis adducere testes, in qui-
bus subesse possit vel levis erroris suspicio, cum
habea-

habeamus sanctos Evangelistas, testes illos omni ex-
 ceptione majores, idem planè commemorantes. Sic
 enim Matthæus cap. XXVII. v. 45. *A sexta autem hora
 tenebra facta sunt super universam terram usque ad ho-
 ram nonam.* Et Marcus cap. XV. v. 33. *Cum verò facta
 esset hora sexta, tenebra orta sunt super totam terram
 usque ad horam nonam.* Lucas denique modum præ-
 terea disertè inculcans cap. XXIII. v. 44. 45: *Erat au-
 tem ferè hora sexta. Et tenebra facta sunt super totam
 terram usque ad horam nonam. Et obscuratus est Sol.*
 Scio equidem, non defuisse, qui propter vocabulum
 σκοτῶς, quod in textu reperitur, ad Eclipses spurias
 hanc nostram retulerint, quasi vel ob interceptas
 crassiores nubes, vel cineres è terra ejectos Sol appa-
 rere desierit. Sed sine dubio falsa illa sententia est,
 nec in prædicta voce quicquam præsidii invenit, cum
 non Plutarchus tantum, sed Ptolemæus etiam
 τὰς ἐκλείψεις Luminarium cœlestium frequenter ὀπί-
 σκοπήσεις nominet. Quapropter mitto hæc, & ad in-
 stitutum accedo, paucis inquisiturus, qualis illa Ecli-
 psis in Sole fuerit, quam eo ipso tempore, quo pas-
 sus est Salvator mundi, accidisse certissimum est. Et
 ut in limine statim exprōmam, quod ego sentio,
 quodq; evidentissimè probaturus sum in posterum,
 esto hæc unica.

THESIS.

Eclipsis Solis tempore passio-
 nis Christi non naturalis fuit,

A 3

sed

sed supernaturalis ac miraculosa.

§. In explicanda hac propositione non occupabor, cum & notissimi termini sint, & res ipsa quoque confirmatione potius, quàm expositione indigeat. Itaque de argumentis dispiciam, quibus assertioni meæ fidem facere possim. Quanquam autem benè multa in promptu habeam, plura etiam apud auctores inveniam: tamen non omnia jam nunc attingam, sed ea solùm persequar, quibus præ cæteris plurimum roboris inesse existimo. Quod ut commodius fiat, nonnullas hypotheses in antecessum præmittam, & explicabo, ut eò faciliorem deinceps habeam, quam in me semel suscepi, *αὐτὸ δὲ εἶξιν.*

PRIMA HYPOTHESIS.

Eclipsis Solis per naturæ ordinem non tempore oppositionis, sed conjunctionis luminarium accidit.

§. I. Si per Eclipsin Solis quaecunq; occultationem intelligerem, qua se subducere Sol oculis nostris, live in totum, sive ex parte, etiam naturali lege, potest; rem nullo modo probabilem, imò falsam planè aggrederer. Nam & cum occidit Sol ipso oppositionis vel plenilunii tempore, visum nostrum fugit,

git, & per nubium crassitiem, cum paulò ante appa-
reret, sæpenumerò è conspectu tollitur. Præterea
avium turmas, ad temporis licet exiguam moram, lu-
men Solis quandoq; avertere videmus, & per cines-
rum copiam, quos montes evomuerant, plus vice
simplici tectum fuisse Solem, ex historia compertum
habemus. Postremò Mercurius quoque, adhibito
Telescopio, in Sole visus quandam ejus particulam
occultare solet: neque implicat, idem aliquando fa-
ctum fuisse à Venere. Sed hæc atq; similia nihil in
præsenti curo, de vero deliquio loquens, quod Sol
supra Horizontem loci jam elevatus, cælo sereno, &
aëre à cineribus ejusmodi omnibus vacuo, ad sen-
sum, nè quidem Telescopio munitum, subito pati
videtur, magis magisq; respectu nostri decrescere
lumine. Quæ in re multa veteres, antequam vera
causa inventa esset, nugatos fuisse constat. Solem
abhorrentem à sceleribus hominum cohibere lumē,
& ad alios transmittere, communi plerorumque cō-
sensu firmata fabula erat, tantas in animis gentilium
radices agens, ut exoriente defectu, totius mundi ru-
inam vel imminere, vel certè jam appropinquare va-
no metu perculsi crederent. Neque simpliciores
modò non perspiciebant verum, sed & philosophis
antiquioribus hïc aqua hærebat. Xenophanes solem
extingvi putabat, aliumq; deinde renasci. Heracli-
tus docebat cavam lucidamq; partem scaphæ solaris
sursum revolvi, & obscuratam se nobis sistere. Ac
relicta fermè res in dubio fuit, donec cum Anaxago-
ra Thales opacam lunam solem subeuntem, lumen
intercipere animadverteret, quò minus ad oculos
nostros perveniat. Hanc enim verissimam esse sen-
ten-

tentiam, eventus pariter ac prædictiones tot seculo-
rum ad novilunia restrictæ comprobarunt hætenus,
ut nemo sanus ea de re amplius dubitare possit.

§. 2. Quod si solem subire Luna, apparentem
in eo Eclipsin effectura, debet; tempore oppositio-
nis, vel plenilunii, secundum consuetum naturæ cur-
sum, nullum Solis deliquium contingere posse, per-
spicuum est. Lunam enim illo ipso tempore Solem
inter & oculum nostrum intercipi tantum abest, ut
maximè omnium, ac per integros centum & octua-
ginta gradûs sub Zodiaco, atque adeò per semicircu-
lum ab illo distet, oculo nostro cum terra inter utrū-
que luminare medium occupante locum. Contra,
si cum Sole jungatur in uno cœli loco, nec latitu-
do ejus visa ad tempus Syzygiæ visæ excedat aggrega-
tum semidiametrorum visualium; eclipsin Solis, sal-
tem in aliquo loco telluris, apparere planè necessum
est.

SECUNDA HYPOTHE- SIS.

Eclipsis Solis naturalis etsi to-
talis sit, non tamen universalis
esse potest.

§. 1. Non idem in Mathesi sunt, Eclipsis tota-
lis & universalis, sicut nec partialis eadem est atque
particularis Eclipsis; sed sunt distincti termini, signi-
ficantes ea, quæ accuratè quoque distingui debent.

Ac

Ac totalis quidem Eclipsis ex parte luminaris eclipsae
ti ita dicitur: universalis verò ex parte hemisphaerii
terrestris eclipsin percipientis. Itaque totalem il-
lam Astronomi vocant, secundum quam totus dia-
scus luminaris apparens obscuratur: eandemque op-
ponunt partiali, in qua non nisi pars disci luminaris, licet
já maxima adsit pro illo tēpore obscuratio, deficere vi-
detur. Sed universalē eclipsin appellant, quæ in omni-
bus locis hemisphaerii terrestris, cujus quidē ratione
conspicuum est luminare, sive diurni, sive nocturni,
(pro varietate scilicet ipsorum luminarium) simul
sub eadem quantitate observari potest. Huic oppo-
nitur Particularis, quæ non ubique locorum ejusdem
hemisphaerii, sed in certis tantum partibus illius con-
spicitur.

§. 2. Horum terminorum usus iste, atque hæc
applicatio peropportuna est, ut sciamus lunam mo-
dò totam, modò ex parte deficere, deliquiumq; ejus-
modi, qualecunque ac quantum sit, semper univer-
sale existere. In sole verò non per omnia par ratio
est. Quanquam enim citra omnem controversiam,
& testante experientia certa pars solis, etiam valdè
notabilis, quæque excedat dimidium disci, à luna te-
gi possit: tamen num totus quoque sol obscurari æ-
què ac luna queat, nondum inter Astronomos com-
posita lis est. Tycho certè Braheus negativam am-
plexus fuit. Nec potuit aliter, quando semidiamete-
trum lunæ, etiamsi vel maximè illa in perigeo suo
versetur, in conjunctionibus eclipticis semper mi-
norem supposuit semidiametro solis apparente. Sed
à plerisque recentiorum deseritur Tycho, & obser-
vatio-

vationes ejus, ceu pugnantes cum aliquot evidentis-
simis exemplis contrariis, utpote Eclipsi solis Anno
1560, item An. 1605. aliisque pluribus cujusdam falla-
ciae, propter neglectam semidiametrum foraminis
radios intromittentis, acutè arguuntur à Keplero, A-
stron. Part. Opt. cap. 2. prop. 10. 11. 12. & c. 11. probl. 2. 7.
8 & 9. Quicquid sit, neque n. hujus instituti est, argumè-
ta utriusque partis examinare, sive negemus cum Ty-
chone, sive asseramus cum cæteris Eclipses solis to-
tales: universalem tamen nec observatam fuisse un-
quam, nec ullo modo per naturam dari posse, sed par-
ticulares omnes necessariò fuisse, vel esse debere,
quotquot juxta ordinarium siderum cursum vel fue-
runt hæctenus, vel futurae imposterum sunt, haud dif-
ficulter probari poterit. Primum enim cogitandum
est, quòd Eclipsis solis fiat non per veram lucis priva-
tionem, quemadmodum respectu luminis se res ha-
bet in luna, sed nudam tantum occultationem, or-
tam à corpore lunæ opaco soli directè subjecto. De-
inde luna mole corporis non tantum à Sole, verum
etiam à tellure nostra superatur: quæ res apud philo-
sophos expedita est, ac dubio omni caret. Quibus
suppositis, sequitur, Lunam, etiam si propter propin-
quitate suam ad globum terrenum totum solem
condere queat, in ordine ad unum alterumve specta-
torem, nullâ tamen ratione ita terram inter ac So-
lem disponi posse, ut ad alios observatores ejusdem
hemisphærii diurni nihil luminis redundet. Nam
sive centalem fingamus conjunctionem, sive aliquâ
lunæ concedamus latitudinem in novilunio eclipti-
co, Luna tamen terrâ ac multò magis Sole minor
nunquam potest toti terræ disco ad solem converso
lumen

Iumen omne eripere, sed, doctibus radiis ritè pro-
tractis, umbram perpetuò in aliquam solùm partem
ejus transmittit, modò in hanc modò in aliam, ita
ut in quodam telluris loco totalis appareat Eclipsis
solis, cum alibi vel nulla penitus, vel saltem partialis
deprehendatur. In Luna autem longè aliter se res
habet, ob rationes contra ias. Et q; omnis Eclipsis
lunaris universalis respectu totius hemisphærii no-
strum, sive in se totalis sit, sive partialis. Sed de lu-
naribus deliquiis alibi agitur: & nobis vel obiter il-
lud, quod diximus modò, observasse in præsens suf-
ficiat.

TERTIA HYPOTHESIS.

Sol naturali lege nunquam per
integram horam, ne dicam
plures, totaliter obscurari
potest.

§. I. Qui totales in sole Eclipses nullas admit-
tunt, varietatem etiam illam ignorant, quòd non-
nullæ cum mora, cœteræ sine mora totales sint. A-
lii verò moram hinc quoq; concedunt aliquam, sed
vix sensibilem, eò quòd luna motu suo in ortum soli
subtercurrens simul ac orientali suo limbo Solis lim-
bum orientalem attingat, totumq; adeò Solem ope-
riat, incipiat ipso occidentali suo occidentalem solis
deserere, ac solem revelare. Cujus controversiæ
decisio dependet à justa collatione semidiametrorum

apparentium, Solis quidem apogei, ac lunæ perigeæ. Nam quantum major est excessus diametri lunaris supra diametrum Solis, tanto pluribus, ultra 12, digitis, vel digitorum fractionibus, Sol obscurabitur, tantoque majus temporis intervallum elabetur, usque dum luna totum Solem tegens occidentalem ejus limbum restituat. Atqui nunquam minor, cæteris paribus, Sol nobis apparet, quam in apogeo constitutus, & luna nunquam major, quam perigea videtur. Jam si sumamus diametrum lunæ perigeæ ex grat. secundum Copernicum 35./40.//. & solis apogæi 31./24.//; erit excessus diametri lunæ supra diametrum Solis 4./16.//. Sed huic respondent. i. digitus & 34 / . qualem diameter Solis apparens est 12. Tempus autem eidem excessui pro motu lunæ congruit circiter octo minutorum, idque sine dubio non insensibile. Quod tamen aliis propter diversitatem placitorum de semidiametris prædictis paulo majus, vel minus est, omnibus autem intra quadrantem horæ consistit, neque ullius seculi observatio prostat, quæ moram illam vel ad integram horam, vel ulterius producere spondeat. Quibus ad hunc modum explicatis ac præsuppositis, tempus est, ut jungatur hæc nostra.

APODIXIS.

Quæcunque Eclipsis solis 1. circa naturalem oppositionem Luminarium contigit, 2. universalis extitit, & 3. totum Solem ultra integram horam condidit; illa non naturalis fuit, sed

sed supernaturalis ac miraculosa. Atqui Eclipsis Solis tempore passionis Christi circa naturalem oppositionem luminarium contigit, præterea universalis etiam extitit, & totum denique solem ultra integram horam condidit. Ergo.

§. i. Major in hoc argumento nititur hypothesis hætenus præmissis, neque vel explanatione, vel confirmatione ulteriori eget. Minorem autem quoad singula membra breviter probabo. Ac primò quidem Christum Salvatorem circa solennitatem paschalem (de die determinato non disputo) crucifixum esse, notissimum est. Atqui pascha Judaicum juxta legem celebrari debebat decimâ quartâ Luna, etiamsi Judæi ex traditione ad decimâ quintam rejecerint. conf. Exod. XII, 6. Quare cum decima quarta Luna plena sit, ac plenitudinis phasis ei demùm, cum Soli opposita est, competat; Eclipsin, de qua agimus, circa plenilunii & oppositionis tempus accidisse consequitur. Ut verissima sint, quæ de se scribit Dionysius, quem supra citavi, in epistola ad Apollophanem, assumpsisse se Philippi Aridæi canonem, & reperisse, quanquam & res notissima fuerit, eo tempore Solem eclipsis


molestias laboresque minimè perpeti debuisse.

§. 2. Deinde universalem exiisse Eclipsin nostram disertis verbis Evangelistæ tradunt. Factam enim fuisse Matthæus ait ἐπὶ πάσας τὴν γῆν, quod commodùm per ὅλην τὴν γῆν expriment Marcus & Lucas, id est, super universam terram, intellige cujus ratione conspicuus erat Sol, & jam supra Horizontem elevatus. Nec enim est, quod cum Origene de sola terra Judæa id explicemus, cum nullâ necessitate à proprietate verborum discedere cogamur. Adhæc totalem illam Eclipsin etiam in Ægypto à Dionysio conspectam fuisse antea ex ipsomet Dionysio cognovimus, & apud Suidam quoque sub voce Dionysii legimus.

§ 3. Denique duravit Eclipsis per tres horas, inde à sexta *ἑβδμή* ad nonam usque, testantibus Evangelistis, hoc est, à meridie ad horam tertiam, secundum nostram rationem supputandi horas. Neque enim tunc temporis horæ *ἑβδμή* ab æquinoctialibus multùm differre potuerunt, cùm per Tabulas Astronomicas colligatur, Solem circiter in 11. gradu Arietis hæsisse. Quæ cum ita sint, supernaturalem ac miraculosam fuisse eclipsin oportet;

portet : quod demonstrandum proponebatur. Utrum autem tam secundum substantiam, ut loquuntur, quam quoad modum, ad quem nos potissimum respeximus supernaturalis, an verò Luna è statu oppositionis per omnipotentiam divinam retracta ad conjunctionem, & postmodum in naturalem locum suum restituta fuerit, & quomodo ea totum Solem obscurare potuerit, cum diametrum illo tempore apparentem minorem habuerit visibili diametro Solis? altioris indaginis quaestio est, quam enodandam hanc quidem vice aliis relinquo.

SOLI DEO GLORIA!



Ad Eximium

DN. RESPOND.

Viri Clarissimi, & de publico benè meritis-
simi Parentis Filium,

Amicum perdilectum:

E Micat è tenebris studium haud ignobile
Bocci;


*Amplior hinc surgat gloria luxq̄, pre-
cor!*

G. C. Kirchmayer, P.P.

AD EUNDEM,

Binum exercitium millenas fert tibi laudes,
Hinc laurum duplicem nectit Apollo tibi,
Ast ego quid faciam? lato tibi gratulor ore,
Opto tibi laudes, gaudia mille tuis.

Michaël VValtherus, Mathem.
Superior. PP. nec non Alu-
norum Electoralium E-
phorus.



STrenuus ut miles properat committere pugnam,
Ut palmâ cinctus magna brabea ferat,
Hunc sequeris lætus dum scandis pulpita doctum,
Perge igitur studiis invigilare tuis,
Gratulor hos ausus, sic pergito carpere flores
Musarum ex horis nectereserta tibi,
Tempora tunc illis tandem tua cinget Apollo,
Laus & eris Patriæ, lausq; decusq; Tibi,
Sic

Conterraneo atq; amico suo per dilecto
ὀλοκαρδίας gratulab.

M. Johannes Salomon Saul,
S.S. Theol. Stud.



05 A 583

ULB Halle


3

003 762 22X



1017





B. C. D!
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
DELIQVIO
SOLARI

tempore passionis Christi,

Quam

In florentissima Academia Wittebergensium,
divinâ adjuvante gratiâ,

PRÆSES

M. MATTHIAS Fleischer /

Tribellâ Lusatius,

RESPONDENS

HIERONYMUS BOCCIUS,

Erff, Thur.

*Eruditorum placida ventilationi
subjiciunt,*

In Auditorio Minori,

Ad D. 27.

An. M. DC. LXIX.

WITTEBERGÆ,
Imprimebat JOHANNES HAKE.